

ut in ipsius radio jam manentes aliquando ad fontem luminis ipsum attrahamur.

Ex his principis potest derivari tota Oeconomia omnis Juris.

Ex his sequitur, rationem solam, & prædicta administranda non sufficere, Sed & speciali à DEO lumine sæpe esse opus.

Omnia lumina

Non foret mihi difficile ex hoc jacto fundamento totam & religionis nostræ & reipublicæ Oeconomiam deducere.

145. Hoc autem solum jam deduco: quia cum omnibus hisce, quæ diximus luminum instrumentis adhuc possimus cœcutire vel non satis ea percipiendo, vel quod in iis non insint omnia lumina particularia: Necessaria nobis sæpe est particularis DEI revelatio, naturalis saltem ordinis, sive talis communicatio, quæ à DEO proficiscatur, ut illum concipimus ordinarium naturarum motorem. Et si quando hæc lumina nobis non contingerent, ignorantia non erit mala moraliter & peccaminosa. Quia in hoc casu, quo DEUS illa non dat, non sunt necessaria: Cum enim finis creaturæ finitæ, finita etiam sunt lumina nobis naturali ordine necessaria.

146. Omnia bona, hoc est Summi entis servituti ido-

nea, quæ in præceptoribus, legibus, sacris scripturis sunt, item omnia, quæ in creaturarum ordine & gubernatione, omnia hæc dici possunt *Revelationes DEI*. Et sine his revelationibus intelligeremus admodum nihil. Sed hæc revelationes generales sunt, omnibus, qui volent, patientes, nisi forte per accidens. Quoniam autem, ut dixi, hæc interdum nobis non sufficiunt, & tamen necesse habemus agere: sine cognitione autem agendorum agere nequimus: hinc præter hæc tali in casu necessaria nobis est revelatio particularis, saltem naturalis etiam, qualem sæpe experimur, præcipue post imploratam creatoris bonitatem.

147. Scioli autem homines parum contenti forte sua, solent sciscitari: Quare, si providus est DEUS, non omnia lumina necessaria palam proposuit sive in scriptura sacra, sive etiam in cælo ac sole ipso legenda intelligibilibus signis & nulli falsæ interpretationi obnoxiiis?

148. Re-

R. Ratio DEUS sibi sua est.

148. Respondeo. Mendico quidem non convenit exoptulare, cur quid ab herero non recipiat? Omnium autem, quæ DEUS facit, ratio is sibi ipse est, cum aliter non esset causa prima, nec finis ultimus. Igitur hujus etiam rei rationem Deus in se ipso habet. Nam, si omnia agendorum lumina propalam essent exposita, ita, ut nullo suspirio postulare alia à DEO necesse esset, subito forte oblivisceretur hæc creatura Creatoris sui; quod DEUS velle non potest.

Felices, qui insufficientiam ex se cognoscunt,

149. Magnum igitur nobis Christianis Catholicis accrescit vitæ solatium, qui & à parentibus nostris, & à magistris, & ab Ecclesia, Patribus ac Pastoribus, ab ipsa denique divina hac scriptura, magna cum sollicitudine admonemur, ut quoties *indigemus*, hoc est quoties nobis deest sapientia, & quoties *ratio sola* nobis ad cognoscendum justum ac bonum *non sufficit*, postulemus à DEO Patre luminum, qui dat omnibus *sufficienter*. Sufficientia nostra ex nobis, & ratione sola nostra, indi-

sufficientiam ex DEO.

gentia est, egestas, & mera paupertas, ut vidimus supra; pauca enim tenemus, plura deficiunt: sufficientia nostra in DEO est, quæ vera est sufficientia, & in quo est altitudo divitiarum sapientiæ. Idem enim, qui nos hortatur, ut ab ipso postulemus, haud dubie ideo hortatur, ut largiatur: Bonus est enim. Quod qui dubitat, semet tangat, & scripturam audiat: qui negat, & pernegat, anathema sit.

Excusationes, quibus præclusis magis dilucidatur status Quæstionis.

150. **EXCUSATIO I.** An vita, Heterodoxi non *qua Civis, quæ hominis, quæ Christiani* excludunt auctoritatem humanam, ac divinam à vitæ modernæ exercitio, imo volunt nos ex auctoritate *separanda?* vere, verum *qua civis*, ubi deferimus auctoritati legum humanarum; *qua Christianos*, ubi deferimus auctoritati revelationis supernaturalis. Ceterum *qua homines* sumus, sola ratione vivere: sive è converso, quando *soli rationi* stamus, tunc nos esse homi-

G

homines; quando *auctoritati* legum humanarum, tunc *cives* esse; & quando *revelationi* divinæ, tunc *religiosos* esse aut *Christianos*.

Est pe-
dantis-
mus.

151. Cavillum hunc esse & pedantismum, jam supra in Tertia Conditione status moderni ostendimus, remota objectione de *Germanis*, ut *Germanis*. Num. 45. &c.

Nullam
nostrum
rationis
dictamen
jam a sola
ratione
oritur.

152. Secundo nego, ullum in nobis esse rationis dictamen, quod a sola ratione oriatur, & non auctoritate vel humana, vel divina primo in nos derivatum sit. Sive ergo aliqua particularis cognitio nostra immediate, & proxime ab auctoritate manat, sive mediate & remote, semper verum est, eam ab auctoritate proficisci; nisi velis contendere omnium cognitionum, primordia nobis esse ab utero cognata, sic, ut ne magisterio quidem sit opus, ad eas primum exercendas. Quod nemo hactenus philosophorum probabile agnovit. Equidem sunt, qui cum Socrate ideas innatas omnium rerum admittant in anima humana, quod & Clarissi-

etiam si
essent
ideas in-
natae.

mus Muratorius de Modamine ingeniorum facit: at omnes tamen hi necessariam *admonitionem*, seu magisterii auctoritatem agnoscunt, non in primo tantum usu rationis, quiscunque is sit in tenebra pueritia, sed per omnem deinde aetatem, quoties nova aliqua cognitio est facienda, ante nondum habita.

153. Ex quo jam consequitur, nos qua homines sequi semper auctoritatem, quod sic argumento conficio. Nos qua sumus homines, sumus ratione utentes. Utentes, ratione sumus qua admoniti, sive auctoritate inducti. Ergo qua homines, sumus auctoritate inducti. Major ex his propositio est adversariorum. Minor mox ante ostensa est, & alias late in *Jure natura*, & *Larva detracta*. Collectio est legitima, ni fallor. Aliter argumentum ad rem sic exponitur. Sumus ignorantes, quatenus homines moderni; sive moderna humana conditio est ratio ignorantiae nostrae: at qui quatenus ignorantes, necessaria habemus adminicula contra ignorantiam: Ergo quatenus homines moderni neces-

necessaria habemus adminicula. Tale autem est *Auctoritas* praecipue Divina. Igitur quatenus homines moderni opus habemus auctoritate, eandemque sequimur. Et qui eam repudiat, contra conditionem modernam agit, & non agit qua homo nec humane. Vid. Num. 45.

Abstra-
ctiones
tales sunt
otiosae,
cum ad
rem ve-
nitur.

154. Tertio. Illae quidem abstractiones hominis qua hominis, qua civis &c. pedanticae sunt, otiosae metaphysicationes, & ideales nugae, quando sermo est de realibus, & maxime de activis & practicis, qualis est redditio officii, obsequium legum & justitiae: atque in his toti versantur multi scriptores Juris naturae heterodoxi, deque his pugnis, pedibusque contendunt. Quae vero nos jam statuimus, realia sunt & necessaria, nimirum auctoritatem nos sequi in quacunque cognitione, in nova quidem immediate & proxime; in non-nova saltem remote, quia priores cognitiones, ex quibus haec non-novae derivantur, ex auctoritate nobis venerunt; tametsi supponeremus, quod probatu difficile est, ideas

rerum nobis esse innatas. Nostra Idcirco haec nostra doctrina convenit homini moderno qui justus esse velit, eo quod & ipse homo modernus & ejus agnitio & justitia reales sint, non ideales. Heterodoxorum autem illa abstracta, & pedantica doctrina convenit hominibus non-modernis, sed idealibus, ac fictis, & entibus rationis, quales homines nec existunt, nec extiterunt, nec existere possunt nisi in cerebro otiosorum: si namque existerent aut existitissent, ideales & abstracti non fuissent, sed reales aut moderni. Vid. Num. 225.

155. Quarto. Separatio illa hominis, Civis, Christiani, potest aliquid habere realitatis sic, ut posteriora & particularia possint realiter separari a prioribus & generalibus: non vicissim generalia & priora a particularibus, & posterioribus. Explicamus hoc in *Larva detracta* Cap. I. Them. V. X. XIX. &c. Ubi exposuimus Statum primigenium realiter posse esse sine adventitio, v. g. Civili, tanquam particulari & posteriori: Non autem

autem realiter esse posse statum adventitium sine primigenio priore. Posses esse solum homo, quin sis civis, quemadmodum hoc de Adamo docent sacrae litterae, de Prometheo ac Pyrrha fingunt poëtae: igitur ab his realiter separata fuit conditio posterior, seu adventitia Civis. At nunc, cum Tu es civis, non potest à te realiter separari conditio prior generalis hominis. Quisquis igitur *nunc & in presenti statu reali* separationes has practice instituit, & subiecta moderni status adventitii ducit ad separata officia, separatas realiter condiciones, is contra rerum naturam peccat, & *pedantismum facit esse noxium*, quia practicum. Manet ergo: Noster aliquis Germanus Catholicus idem est realiter qua Catholicus, qua Germanus, qua homo; & cum obtemperat Evangelio realiter qua Catholicus, idem realiter qua Germanus, & realiter qua homo facit.

Quod docetur ex Logica & Metaphysica.

156. Potest id ex Logicae ac metaphysicae praeceptis declarari, *Generaliora omnia sunt simpliciora &*, minus

composita: ideoque sunt necessario absque particularibus, ex quibus fieret compositio. Ita Ens generale & simplex est necessario separatum, & distinctum realiter à Corpore; quia *cum corpore* esset compositum, nempe ens & corpus. Contra, *inferiora* sunt composita ex pluribus, quae cum in Generalibus essent distincta, in hoc Inferiori sunt indentificata ex. gr. Animal & homo. Animal tanquam quid generalius realiter potest esse, quin sit homo; quia animal est adhuc quid simplicius, ac minus compositum, atque adeo excludens à se ea, quae compositionem facerent. At homo cum & ipse sit animal, ab eo tamen *ut homine* inseparabilis est rationalitas. Quia essentia hominis eadem est rationalitas, & animalitas inseparatae. Hisce de rebus juventutem egregie exercent Logici in Gradibus Metaphysicis agnoscendis, ad quod instituunt disputationes de Praecisionibus objectivis, de distinctione virtuali, formali &c. Quas disputationes ad recte intelligendum non esse supervacuas, Naturalis Juris heterodoxi

rodoxi scriptores nobis argumento esse possunt, qui earum disputationum neglectu, quadrata pro rotundis in ipsum iustitiae rei sacratissimae exercitium invehunt, nobisque obtrudunt importuni, ceterosque, qui idem non faciunt, ignorantes praese omnes dicunt. Sed videant prius manticae, quod in tergo est.

157. Cum dormit Canis, solum animal dormit, cum latrat, solum animal latrat. Cum dormit homo, cum loquitur, non solum animal dormit, nec solum animal loquitur: sed animal & rationale tanquam unum, & realiter idem. Eodem pacto cum Prometheus, qui *tantum homo* est, iuste agit, DEUM colit, solus homo colit DEUM: cum idem agit Germanus, non solus seorsim Germanus, sed Germanus & homo, tanquam unum colunt. Quia actiones, ut philosophi ajunt, sunt suppositorum. Accedit, quod in Germanatione qua Germani, & in ratione Catholici qua Catholici, Ratio naturalis humana non excluditur, sed supponitur etiam generaliter loquendo, & non solum de singulari supposito.

158. Quinto demum non Abstragemus omnino, istas rationes qua hominis, qua civis &c. Posses aliquo modo separari etiam in status moderni hominibus: sed id fit pure idealiter ac *per fictionem logicam*, ita ut in ipso subiecto & in *actionibus* ejus nihil mutetur, sed haec manent realiter idem, & exerceantur realiter ut idem. Non ergo, qui officia homini moderno ut *homini moderno* tanquam re ipsa exercenda praescribit, debet dicere: Tu sola ratione utere, exclude sacram scripturam, quae tantum pertinet ad Christianos, & ex qua non hominis, qualis es, sed Christiani tantum officia discis. Rursus non debet dicere: Respublica, tanquam quae à jure naturae temperetur, non debet uti religione Christiana, quia haec ad alteram vitam pertinet, non ad hanc societatem.

Deinde Heterodoxi soliti omnia turbare, peccant. idem etiam in parte diversa. Quando enim scribunt jura naturae qualia convenirent statui primigenio non moderno, deberent sola ea officia ponere, quae eidem convenirent.

rent. At nunc scribunt officia non soli illi statui primigenio convenientia, sed huic statui *Civili*: nempe scribunt emptiones, venditiones, fines regundos, stillicidia, pacta, bella, magistratus, quæ illi primigenio statui non congruunt. Supponitur enim ille primigenius status naturalis distinctus à statu civili: emptiones autem, magistratus, fines, stillicidia sunt negotia status *Civilis*: ergo hæc non conveniunt statui primigenio, pro quo jus naturæ scribere profitentur heterodoxi, tanquam pro tali, in quo sola ratio vigeat, nullæ leges humanæ nulla auctoritas.

Heterodoxi nil tale cogitant se met refutant:

Et recte quidem hoc illis contigit, ut putida illorum contentio de ratione sola adhibenda, ab ipsismet etiam incogitantibus evertatur. Omni enim conatu, ad sola ratione utendum, adhibito, non possunt alia officia naturæ seu rationis excogitare, quam sint hæc *civilia*: quia nempe in eorum ratione nihil aliud invenitur, quam, quod ex civili, vita ac moribus didicerunt.

Itaque si sola ratione præcisis moribus civilibus volunt excogitare officia naturæ, debent Contractus, venditiones, stillicidia recidere, omniaque alia nunc usitata, quia hæc omnia civilia sunt neque hominibus qua hominibus, sed qua civibus data. Homo autem istorum, quæ homo nihil emit quia homo qua homo non habet pecuniam, non mercatorem, non mercem, non pretium: sed tantum habet animam & corpus. Cibum autem, vinumque non habet qua homo, sed qua esuriens: calceum qua protegendus: siquidem scandere per otiosas abstractiones cum istis lubet. Vid. supra in *Conditione Tertia* Moderni status Num. 45. seqq.

159. *Excusatio Secunda.* An ratio Dicet aliquis: Non volumus, ut generaliter Jus naturæ agnoscat pro tota vita ex sola ratione: imo pro tota, vita recte gerenda fatemur concurrere debere leges, & auctoritatem etiam divinam: sed in casu particulari, cum dispiciendum est, an hoc vel illud sit officium juris naturæ, an tantum civile, dicimus solam rationem non tantum

Et juxta ipsorum Principia maxima pars eorum libris recidenda est.

tantum sufficere, sed etiam eam solam adhibendam esse, seclusa auctoritate omni, etiam divina. Hæc quidem dicunt ipsi.

Heterod: non videntur de particulari dicere:

160. *Respondeo primo.* Hoc ipsos dicere non videri, quia profitentur universa officia Juris naturæ libris suis comprehendere, atque ex iis libris excludere leges, & revelationem. Deinde, quia Catholicos doctores in universo Jure naturæ exponendo auctoritate maxime divina usos, cavillantur tanquam rudes, quod auctoritatem misceant rationi; imo tanquam noxios. Quæ quidem in *Larva detracta* copiose retulimus.

& si dicunt de omnibus particularibus, dicunt de Toto,

161. *Respondeo secundo* nihil ipsos hac excusatione jurari. Aut enim de omnibus casibus, & officiis particularibus intelligenda est excusatio? aut de aliquibus tantum?

162. Si de omnibus, hoc ipso intelligitur de toto, & verum erit, ipsos ex tota nostrorum hominum vita excludere auctoritatem, atque eidem solam rationem præficere.

163. Si de aliquibus tantum officiis id verum est, ea tem necessario, remota auctoritate esse intelligenda: edicant jam nobis, quanam sint illa, & quot?

aliqua autem non possunt enumerare.

164. Quod si ea nobis enumeraverint, instabimus primo, cur non & alia æque sint talia? Instabimus secundo, unde didicerint ipsi, ex sola ratione hæc tantum metienda esse, & non cetera? Postulari id genus plura poterunt, quibus reponere, quæ è re sint humana, non fuerit ita pronum.

etiam enumeratis, hoc non didicere sola ratione.

165. *Respondeo 3tio*, statuamus exemplum alicujus Questionis. *Furem morte pledere esse juris naturæ! an Civilis?* Si sola ratione attingis, mortem cum furto habere physicam aut metaphysicam connexionem, Fur juste suspendetur; quia hoc erit juris naturæ. Si furtum & mors connexionem metaphysicam non habent, hæc pœna non poterit sola ratione cognosci, quia ratio tantum ea cognoscit, quæ habent connexionem metaphysicam, seu quorum unum in altero, tanquam causa continet.

tinetur. Si ratio sola hanc pœnam cognoscere nequit, hæc pœna non erit juris naturæ. Si hæc pœna non est juris naturæ, lex humana eam irrogans, est, injusta; quia nulla lex humana justa est, quæ non est conformis naturali, tanquam regulæ prioris & subordinanti.

An ratio sola applicanda tantum ad Internam?

166. Excusatio tertia. Heterodoxi Juris naturæ scriptores non volunt, ut rationis solius usus applicetur ad externa: in externa enim vita parendum est legibus, etiam ubi ratio non attingit earum vim. Contra, in interna standum est sola ratione.

Id videtur facere Gundlingius.

167. Respondeo Primo, hæc excusatio paucis forte scriptoribus patrocinatoribus & quidem fere Gundlingio, qui fatetur, Jus naturæ ad pacem, non externam modo, sed maxime internam cum DEO spectare. Hic igitur Gundlingius Rationem solam pro principio Juris naturæ, quamquam hæsitando constituens, uti aliquo modo hac excusatione potest.

168. Verum Puffendorffius Juris naturæ dictator, ea-

dem se tueri non potest, cujus totum Jus naturæ in societate externa absolvitur: quique animi actiones, jure naturæ tantum ideo probandas, damnandasque vult, quod societati, quæ externa est, aut obsint aut proficiant. Præcipue, quod is DEUM in suum naturæ jus immisceat plane extra sua principia. Quæ omnia in Larva detracta copiosius nobis exposita fuerunt.

169. D. Wolffius, qui jus Naturæ ejusque custodiam statuit, etiam abstrahendo à DEO, item ab ignorantibus DEUM, quin etiam à DEI negatoribus & hostibus, quomodo præcipiet sola ratione coli pacem internam cum DEO, qui sola ratione, & jure naturæ admittit pugnam cum DEO?

170. Heineccius, qui amorem DEI, sui, ac proximi, sola ratione cognitum, pro jure naturæ statuit, sibi hanc excusationem applicabit ac dicet: Quantum interne amandus est DEUS, ego, & alter, sola ratione utenda est: quantum vero externus est amor, leges regnabunt, sic

sic tamen, ut omnes sibi caveant à S. Scriptura, quæ ad jus naturæ plane nihil facit. Verum hæc ut primo mox aspectu videntur inania, ita deinceps spero, magis apparebunt. Itaque

Quia hifere tantum externa officia in suis J. N. libris:

171. Respondeo secundo. Tam Heineccius quam ceteri volunt, Omnia, quæ ipsi describunt officia, sola ratione cognosci ac regi: Totum enim jus, non tantum partem juris naturæ, asserunt sola ratione constare. Jam vero officia Juris naturæ ab ipsis descripta longe plura sunt externa, quam interna: sicut Puffendorffius fere totum librum suum implevit officiis externis, itidemque Heineccius, ut videre est in ipsismet, & Larva detracta, & de Wolffio plures tomi testantur. Ergo heterodoxi potius externa volunt sola ratione regi, quam interna. Pro uno enim officio interno decem externa in ipsis numeraveris: suum ergo solius rationis principium potius pro externis, quam internis servire volunt.

Si nos moderni non vivi-

172. Respondeo Tertio quærendo: Aut vivimus nos

præsentibus Jure Naturæ, aut jure naturæ non vivimus?

173. Si non vivimus nos jure naturæ, imprudens est, tot jura naturæ nobis quotidie scribere, & ea nobis dicere necessaria, & Catholicos vituperare, tanquam qui ejus sint ignorantes?

174. Si autem jure naturæ vivimus nos, aut toti eo vivimus? aut pars nostri interna tantum, aut externa tantum?

175. Quod si toti vivimus jure naturæ quodad externa ac interna, pro externis æque, ac internis debet valere principium juris naturæ.

176. Si jure naturæ vivit pars nostri duntaxat interna, cur major pars laboris ab istis doctoribus in eorum libris suscipitur in externis officiis; & cur hæc eadem descriptio tantopere necessaria prædicatur, cum nihil pertineant externa ad jure naturæ vivendum, sed externa pertineant ad jus civile?

177. Respondeo quarto. Seu Quocumque modo internis solis, seu solis externis,

mus Jure naturæ, non scribendi hilibri:

Si toti eo vivimus, ratio sola pertinet etiam ad externa:

Si interne tantum vivimus Jure naturæ, non major pars librorum implenda officiis externis.

sumptis his, sequuntur moderno statui contraria.

nis, seu utrisque solam rationem præficient, moderno hominum statui contraria sequuntur.

178. Si solis internis, non erit deinceps opus Confessione neque apud Catholicos, neque apud Lutheranos, ubi aliquam ejus speciem habent; quia ratio sola accusat, ratio sola testatur, probat, negat eadem ipsa sola absolvit vel damnat. Qui deinceps ad interna officia in casu anticipati discenda consulent viros peritos, ac probos, peccabunt; quia facient principiis juris naturæ contraria.

Nam deinceps peccabunt consilium peccabunt, tentes,

ut Principes concilia adhibentes

179. Si externis sola ratio moderatur, peccabunt Principes, consiliis adhibentes doctos. Habent rationem, ea sola jure naturæ tenentur uti.

peccabunt consiliiarii,

Peccabunt consiliiarii & judices ex Codice, aut statutis repetentes sententiam: Ex ratione sola eam ferent.

advocati,

Peccabunt advocati iudicibus suggerentes leges, & auctoritatem pro & contra; quia eos à ratione sola conantur avocare.

Peccabunt juvenes scholasticos se tradentes ad disciplinas adeunt, librosque evolvendos.

Peccabunt Parentes, & magistri auctoritate sua ducentes, urgentesque juvenes, tutem.

Peccabunt populi judicium sententiam exsequentes, Principum tributa pendentes, Ducum imperata facientes peccabunt milites.

180. Omnes denique, qui quidquam eorum agent, quibus moderna respublica regitur, juris naturæ violati habebuntur rei, omniaque eos consequentur, quæ accidunt iis, qui jus naturæ non custodiunt; Nimirum non assequuntur summum bonum Wolffianum, quod consistit in continuo progressu ad majores indies perfectiones in hac vita: quæ perfectiones sunt ipsum jus naturæ, & essentia rerum.

Non assequuntur summum bonum Puffendorffianum, scilicet commoda hujus vitæ tantum.

Non summum Bonum Puffendorffianum, ut crescant & multiplicentur.

Non

nec pacem externam reipublicæ.

Non illud denique, quod fere omnes heterodoxi Juri naturæ tribuunt, summum bonum, pacem videlicet externam reipublicæ. Quomodo enim respublica pace fruatur, ubi non sola ratio viget, sed tolerantur præceptores, parentes, scholæ, tributa, lictores, carnifices, militum duces, judices, consiliiarii, libri, confessarii, sacerdotes, principes, reges? Sola ratio ad pacem externam tendit: apage auctoritatem tam multiplicem, & gravem.

An jus naturæ heterodoxis pro sapientibus tantum, non pro vulgo?

181. Excusatio Quarta D. Wolffii ac Puffendorffii. Notandum Jus naturæ non est pro vulgo, & iis, qui vulgo haud altius sapiunt: Sed pro iis, quorum auctoritate & vulgus, & illi humiliter sapientes stare tenentur. Hanc excusationem in Larva detecta avertimus. Juvat tamen tria hic addere verba.

Quia vulgus sunt homines, ut homines.

182. R. Primo. Igitur agnoscunt isti rationis solius prædicatores, non omnem rationem esse illam, qua sola duce Jus naturæ agnoscat. Vulgus enim, & qui non altius vulgo sapiunt,

habent quidem rationem, nisi boves sint, non homines, ut homines. Sed illam rationem non habent, quæ sola sufficiat.

183. R. Secundo. Consequitur ergo, rationem tantum esse debere, ut sola sufficiat, Restat mihi super hoc tenue dubium, seu scrupulus potius, & anxietas, quem D. Wolffius fortasse inanem agnoscat. Scrupulus is est, qualis sit illa ratio, quæ sufficiat? Et quidem inter Catholicos homines inde à Christo nato nemo unus tantum rationem habuit. Quia his sola ratio non suffecit: unde illis accidit, quod heterodoxi deplorant, nempe, ut una omnes Jus naturæ peritus ignorarent, & sacra profanis, leges naturæ foede confunderent civilibus.

184. Antequam Germania nostra fieret Catholica, sola ratione (singamus hoc) usi sunt. Sed ii merum vulgus fuerunt, haudquaquam D. Wolffii similes. Fuere enim omnes agricolæ, milites, venatores.

185. Deinde ex numero hoc eximendi sunt omnes

Qualis Ergo ratio de summo sufficit sola?

Non Catholicorum, qui ignorantes sunt.

Veteres Germani merum vulgus.

rum vulgus.

pueri, adolefcetes, juvenes, ad trigefimum, alicubi ad quadragesimum & amplius ætatis annum: quia hi non altum fapiunt.

ſceminæ
vulgus,

186. Fœminæ, dimidia humana gentis pars, à Jure naturæ agnofcendo arcendæ omnes; iis enim plerumque altum fapere non datur, niſi excipias paucas Amazonas, quales etiam hodie regnare videntur.

cum ex-
ceptione.

187. Eamus ergo ad heterodoxos, parvum numerum. Ex illo quoque omnes altum non fapientes, Jus naturæ ignorare necesse eſt, quia auctoritatem fequuntur, & ſequi tenentur.

Solius
libiles
non eſſent
vulgus.

188. B. Tertio. Altum fapientes ita quidem, ut *ſola ratio* iis SUFFICIAT, ad Jus naturæ omne agnoſcendum mihi videntur ii, qui in eo agnoſcendo errare nequeunt. Nam ſi poſſunt errare ratione, ratio meherele non ſufficit. Talem virum peto mihi hic ſiſti, ac produci in medium, non dico ex millibus unum, ſed ex toto genere humano, quod fuit, eſt, & erit. Eum certatim adora-

bimus omnes, certi, hunc eſſe DEUM.

189. B. Quarto. Wolffio contra videtur altum fapere Dominus Wolffius, qui ipſe docendos in Jure naturæ ſuſcipit etiam illos, qui aliis Jus naturæ auctoritate præſcribunt. Qualis autem eſt Dominus Wolffius? Errare non poteſt. Hoc de ſe ipſe edicit. Supra Num. 70. Vid. *Larva detracta* Cap. XVI. Init.

190. *Excusatio Quinta.* In Num in-quiunt forte, Jura naturæ à nobis ſcripta ex ſola ratione, non eo pertinent, ut ea ſola in vita ferventur, quæ *ſola ratio* ſecluſa auctoritate agnoſcit: ſed ut agnoſcatur, & inquiretur, an leges civiles ſint in ratione fundatæ?

191. *Primo.* Reſpondi his plura in *Jure natura* à me deſcripto. Jam quæro, quis debet eam inquisitionem facere? Docti? at illi hanc fecerunt dudum in ſacro & profano Jure, antequam heterodoxi iſti naſcerentur. Heterodoxi autem dicunt, ea, quæ ipſi docent jam, à noſtris doctoribus fuiſſe igno-

quirendum, an leges ſint in ratione fundatæ?

Quis debet hoc inquire?

Docti? qui hoc dudum ſciverunt;

neque hoc quaerunt

hetero-
doxi,

ignorata: Noſtri doctores non ignorarunt, leges in ratione fundari: Ergo quod heterodoxi jam docent, & faciunt, non conſiſtit in hoc, ut pervideatur, an leges in ratione fundentur. Ergo conſiſtit in aliquo alio occultiore ſine: quem ſæpius jam prodidimus.

ſed aliud.

Indocti
hoc po-
tius faci-
ent,

192. *Reſp. Secundo.* An vero hæc inquisitione pertinet ad indoctos, hoc eſt ad partes humani generis nongentas nonaginta novem ex quolibet Millenario? Et quidni pertineat ad ipſos? quia *Rationem* habent quamvis ſine his magiſteriis: Ratio ſola ſine magiſteriis ſufficit: Ergo ſi Juris naturæ labor eſt inquisitionem in leges facere per rationem *ſolam*, faciet illam, quiſquis rationem *ſolam* habet. At vulgus *vere ſolam* rationem habet ſine magiſtrorum multiplici amictu. Igitur ad vulgus ea inquisitione potius ſpectat, quam ad doctos, apud quos ratio ſola jam non eſt.

Sed magi-
ſtratibus
hoc peri-
culoſum
erit.

193. *Reſp. Tertio.* Quodſi vulgi eſt inquirere in rationem legum, periculoſa magiſtratibus, & Principibus fa-

ba cuditur. Quodſi enim non penetret aliquis in rationem legis; ſervabitne eam! Tanta autem hominis pars in rationem legum non penetrat: Docti rursus non penetrant, ſed inter ſe præliantur, & excuſandi ſemper plures rationes inveniunt: qui ergo tandem ſervabit leges, quis imperata magiſtratum faciet? Præſertim ſi jam ab adoleſcentia ad hoc inſtruantur, & incitentur. Si deinde falſis jocis leges præcipue ſacræ apud ipſos traducantur. Vid. Num. 101, & Num. 204.

194. *Excusatio Sexta.* Jus naturæ, & ratio ſola tantum debitum, ad hoc ſpectant, ut intelligamus, an hoc vel illud eſſet præceptum? ad hoc eognoſcendum debemus carere omni auctoritate humana, & divina, ipſaque DEI exiſtentia cognitione poſſumus carere, imo & negare ens primum.

195. *Reſp. 1.* De hoc in *Larva detracta* Cap. XVI, egimus contra D. Wolffium.

196. *Reſp. 2.* Quid deinde fiet, ſi hoc ſine ulla auctori-
ad *ſictio-*
nem *redu-*
citur.